

Namque comas piceo, diamque obnubit amictu  
 Dum faciem, ipse suis proditur a radiis,  
 Qui se se offusis e nubibus erumpentes  
 Spectantum incurruunt denique luminibus.  
 Parce ferox: nescis tua quem dementia contra  
 Arma ferat, nescis quod facinus facias.  
**Auctorem** lœdis rerum, cœlique potentem  
 ( Nec tremis admissi conscius? ) e nihilo  
 Qui cœlum, terramque olim, camposque liquebentes  
 Undarum nutu condidit omnifero;  
**Astriferumque** orbem stellis fulgentibus ornat,  
 Astrorum & varias temperat usque vices.  
 Quem sæpe ignifero percurrentem aera curru;  
 Terrentemque alto corda hominum tonitru,  
 Aligerum volitant subter mille agmina, mille  
 Post subeunt, totidemque antevolant acies,  
 Et Regis nutum observant, & jussa capessunt,  
 Sive urbes fundo vertere sacrilegas,  
 Seu pestem populis, bellumve immittere jussit,  
 Miscere & subitis omnia funeribus.  
 Ille Austrum, Zephyrumque, ille & te condidit idem.  
 Pergis & auctorem lœdere, fave, tuum?  
 Ille, velit, potis est damnatum carcere cœco  
 Te penitus rupes abdere in Æolias,  
 Et potis est dura vel te vincire catena,  
 Vel procul arentes pellere in Æthiopas,  
 Nusquam ubi, queis aleris, queis gaudes, frigora, nusquam  
 Aut glaciem, aut patrias jam tibi, dure, nives  
 Cernere erit, sed quod vicina lampade semper  
 Torret, & adsidue Phœbus hiulcat argos,  
 Regnat ubi semper, luditque tepentibus auris  
 Illa tibi invisi scilicet aura Noti.  
 Hæc puer, & majora potest, teque improbe quavis  
 Perdere, vel quovis excruciare modo.

Et